

IOACHIMVS PRINCEPS ANHALTINVS.



Ioachimus filius fuit illustrissimi principis Erne-
sti, atq; Margarethæ ducissæ in Münsterberg Si-
lesiorum. natus est anno Christi 1509, die 8 Augu-
sti. Pater eius princeps optimus immatura morte
obijt, atq; ipse à matre prudētissima muliere puer
adhuc piē educatus fuit. Cum autem nonum an-
num ageret, à matre & tutoribus Lypsiā missus,
atq; unā cum fratre Georgio præceptorī M. Geor-
gio Helt à Forcheim, viro eruditō, commendatus
est. Is in primis curauit, ut hi principes in Historijs
& Mathematicis disciplinis utcunq; institueren-
tur. rapiebatur etiam Ioachimus natura ad sacra-
rum literarum lectionem, quę adeò ipsum delecta-
runt, ut eas postmodum in frequenti usu habuerit. Id cum Adolphus cognatus eius, atq; tum Episcopus Merseburgensis intellexisset, eum ad se uocauit,
& in omnis generis uirtutibus instituit, ad annum Christi millesimum quin-
gentesimum uicesimum sextum usq;. Cum autem Ioachimus decimum o-
ctauum annum ageret, Georgius Saxoniæ dux eum in curiam recepit, atque
per annos quatuor ut filium dilexit. uidebat enim mirabiles & heroicas uirtu-
tes in adolescente, cuius tutorem agebat, egregiè relucere. Postea anno mille
simi quingentesimo tricesimo mater eius obijt. Itaq; ad reipublicæ guber-
nationem accessit, atque cum fratribus Iohanne & Georgio summa concor-
dia præfuit, ut hic sententia antiquorum: Fratrum quoq; gratia rara: mīnimè
locum habuerit.